

§. XXVI.

Ex §. ant. patet, quid per *facultatem sentiendi* intelligendum veniat: quippe quæ in potentia consistit percipiendi objecta externa, quæ mutationem corpori nostro ejusque organis sensorii inferunt, convenienter mutationi in organo tali excitatæ.

§. XXVII.

Hinc jam consequitur: *sensus & sensationes ad animam pertinere*, non quatenus quid mutationem quandam in organis nostris sensorii efficiat, sed quatenus idem percipiamus. Quare si curatius loqui velis, ita loqui debes: non auris, sed anima audit; non lingua, sed anima sapit.

§. XXVIII.

*Impediri sensationem nostram experientia edocemur*, si quando vel organum sensorium ab objecto sensibili avertimus; vel impedimentum aliquod adest, quo minus actio objecti sensibilis in organum sensorium exferri possit. Sic oculis clausis aut lumine, quo res in obscuro illustrantur, remoto, res ejusmodi externas non possumus visu percipere.

§. XXIX.

Quæ §. §. sphis XXV - XXVII. explicata sunt, ea jam nobis ansam subministrant, *ad legem sensationis exponendam*, quæ ad sequentem regulam revocatur: *mutationibus quibusdam in organo sensorio ab objecto sensibili productis, exoritur in mente talis sensatio, quæ rationem sufficientem quare sit, & quare talis sit, & non alia, in mutatione organi sensorii continet.*